



Benedictus VII. ex Comitibus Tusculanis, Romanus, Deusdedit filius, Episcopus Sutrinus. Creatus 4. Kalend. Junii, fugato Bonifacio Septimo. Sedit annos novem, mensum 1. dies 10. Romæ obiit sexto Idus Julii, Anno Domini 984. Sepultus ad S. Crucem in Hierusalem, Vacavit Sedes dies 5.



Joannes XV. Romanus, Leonis Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, de vico Gallinæ albæ. Creatus Kal. Augusti, anno Domini 985. Sedit annos 9, menses 6, dies 10. Obiit Romæ v. Idus Februarii, anno 995. Sepultus ad S. Petrum principem Apostolorum. Vacavit Sedes diem 1.

JOANNES XIV. PONT. CXL.
ANNO DOMINI CMXXXIV.



Joannes XIV. Papiensis, Petrus antea vocatus, à Caneva nova dictus, Episcopus Papiensis. Creatus 17. Kal. Aug. Sedit menses 8. Pontificatu exactus à Bonifacio VII. in Urbem reverso 17. Kalendas Aprilis. Obiit 17. Kalendas Aprilis. Corpus ejus in Basilica S. Petri sepultum, anno Domini 985. Vacavit Sedes...

§. 1. Schisma 17. inter Bonifacium VII. & Benedictum VII. dictum VI. & Joannem XIV.

Canonizatio S. Udalrici, Episcopi Civitatis Augustanæ.

Hujus Sancti Festivitas hic non designata, celebratur in ea Civitate die 4. Julii.

IOANNES EPISCOPVS, SERVVS Edita A.D. Servorum Dei. Omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & 993. Abbasibus in Gallia, & Germania commorantibus, salutem in Domino, & Apostolicam Benedictionem.

Um Conventus esset factus in Palatio Lateranensi pridie Kalendas Februarias, residente Joanne Sanctissimo Papa, cum Episcopis, & Presbyteris, astantibus Diaconibus, & cuncto Clero, surgens Reverendiss. Luitholphus, Augustæ Episcopus, inquit: Domine Sanctissime Præsul, si vobis placet, & omnibus Episcopis, & Presbyteris hic residentibus, libellus quem præ manibus habeo coram vobis legatur, de vita & miraculis Venerabilis Udalrici sanctæ Augustanæ Ecclesiæ dudum Episcopi, & quid libitum vobis fuerit, decernatur. Quia Spiritus sancti testatur præsentia, & Congregatio Sacerdotum certum esse, quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cujus in Evangelio ista est sententia: Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, nec huic tam brevi numero Spiritus sanctus deest; quanto magis eum nunc interesse credamus, quando in unum convenit turba Sanctorum. Sanctum namque est pro debita veneratione Collegium.

§. 1. Cùmque perfecta esset vita prædicti sanctissimi Episcopi, ventum est ad miracula, quæ sive in corpore, sive extra corpus gesta sunt, videlicet cæcos illuminasse, & dæmo

Letum fuit liber vita Udalrici, coram Papa, & aliis.

Et etiam miraculorum.

IOANNES - DECIMVS - QVINTVS ET SEXTVS. 45

dæmones ab obsessis corporibus effugasse, paralyticos curasse, & quamplurima alia signa gessisse, quæ nequam calamo, & atramento illustrata sunt.

§. 2. Quæ omnia lepida satis urbanitate exposita recepimus, & communi consilio decrevimus memoriam illius, idest Uldalrici Episcopi affectu piissimo, & devotione fidelissima venerandam. Quoniam sic adoramus, & colimus reliquias Martyrum, & Confessorum, ut eum cuius Martyres, & Confessores sunt, adoremus. Honoramus servos, ut honor redundet in Dominum, qui dixit, Qui vos recipit, me recipit. Ac proinde nos, qui fiduciam nostræ justitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementissimum Deum jugiter adjuvemur; quia divina saluberrima præcepta, & Sanctorum Canonum, ac Venerabilium Patrum instabant efficaciter documenta, omnium Ecclesiarum pio considerationis intuitu, imò Apostolici moderaminis annisu, utilitatem communitatem atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Uldalrici jam præfati Venerabilis Episcopi divino cultui dicata existat, & in laudibus Dei devotissimè persolvendis semper valeat proficere.

§. 3. Si quis interea (quod non credimus) temerario ausu contra ea, quæ hac nostra auctoritate piè, ac firmiter per hoc privilegium constituta sunt contraire tentaverit, vel hæc quæ à nobis in laudem Dei, & pro reverentia dicti Episcopi statuta sunt, refragari, aut in quocumque transgredi, sciat se auctoritate B. Petri Principis Apostolorum, cuius immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum.

§. 4. At verò qui pio intuitu observator extiterit, benedictionis gratiam à misericordissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & æternæ vitæ participes efficiatur.

§. 5. Scriptum est per manum Stephani Notarii Regionarj, & Scribarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Februario, indictione sexta, anno nongentesimo nonagesimo tertio.

Papa decretum de Canonisatione

Contravenientium pena.

Observatorum benedictio.

Regius decreti.

Papa subscripsit.

Episcoporum & Cardinalium subscripsit.

Dat. P. An. 8. die 3. Febr.

Ego Ioannes S. Roman. Cathol. & Apostol. Ecclesiæ Episcop. huic decreto à nobis promulgato consensit, & subscripsit.

Joannes Episcopus S. Anagninæ Ecclesiæ consensit. Benedictus Episcopus S. Pipernensis Ecclesiæ consensit. Dominicus Episcopus S. Ferentinæ Ecclesiæ consensit. Crescentinus Episcopus S. Silvæ candidæ Ecclesiæ consensit.

Anniso Episc. S. Cerensis Ecclesiæ consensit. Bonizo Archipresb. & Cardinalis S. Lucie consensit. Benedictus Presbyter & Card. S. Stephani consensit. Leo Presbyter & Cardinalis S. Nerei consensit. Joannes Presbyter, & Cardinalis S. Damasi consensit. Leo Presbyter, & Cardinalis S. Sixti consensit. Joannes Presbyter & Card. SS. Apostolorum consensit. Joannes Presbyter & Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum consensit. Joannes Presbyter, & Card. S. Clementis consensit. Crescentius Presbyter, & Card. S. Callisti consensit. Benedictus Archidiaconus. Joannes Diaconus, & Oblationarius. Benedictus Diaconus. Joannes Diaconus. Hi omnes consenserunt, & subscriperunt.

Dat. 3. Kalendas, alias Nonas Februarii per manum Joannis Episcopi S. Nepesinæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii sanctæ Sedis Apostolicæ, Anno Pontificatus Domini nostri Joannis Sanctissimi XV. Papæ Octavo, Mense dicto, & Indictione sexta.

IOANNES XVI. PONTIF. CXLII. ANNO DOMINI CMLXXXV.



Ioannes XVI. Roberti filius, Romanus. Creatus 3. Idus Februarii. Sedit menses 4. Moritur quinto Idus Junii, Anno Domini 995. Sepultus ad sanctum Petrum Principem Apostolorum. Vacavit Sedes dies 6.

GREGORIUS QUINTUS PONT. CXLIII. ANNO DOMINI CMLXXXV.



Gregorius V. Saxo Germanus, Bruno antea dictus, Gothonis Saxonie, & Suevix Ducis filius, Matre Juditha, ex Urbe Vangia, Presbyter, & Capellanus Imperatoris, Verdensis creatus Antistes, Pontifex declaratur XVI. Kalend. Julii, die Dominico, Anno Domini 995. Sedit in Petri Cathedra annos 2. menses 7. dies 18. Obiit Romæ 12. Kal. Martii, anno 998. Sepultus ad S. Petrum, juxta sepulchrum Beati Gregorii. Vacavit Sedes dies 15.

Schisma in Ecclesia Romana XVII. inter Joannem Antipapam, dictum XVII. & Gregorium V.